

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jakob Carmon

**Rector Universitatis Rostochiensis Jaobus Carmon, Phil. & J.U.D. ... Ad
Exorandum Sibi Spiritum Sanctum Occasione dicti Luc. XI., vers. 13. Cives
Academicos Ipsi Pentecostalibus Feriis excitat atqve hortatur**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1719?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003987753>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

17 19. Pfingsten.

~~M-1256. 198.~~

He. 1719.

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JAO BUS CARMON,
PHIL. & J. U. D. ac PANDECTARUM PROF.
PUB. ORD. CONSISTORII DUCALIS,
CONSILIARIUS,

AD

Exorandum Sibi

SPIRITUM SANCTUM

Occasione dicti

Luc. XI, vers. 13.



CIVES ACADEMICOS
**IPYSIS PENTECOSTA-
LIBUS FERIIS**

excitat atque
hortatur.

ROSTOCHII,

Typis Joh. WEPPLINGI, SER. PRINC. & ACAD. Typogr.

M. 1236 158



Mnes illi , qui a Christo nomen trahunt , ejusque præcepta profitentur , modo non sint fastu spirituali prorsus occœcati , preces , & devotam orationem , ad Deum studiosissime ita commendare solent , ut necessitatem pariter , ac utilitatem , religiosi hujus aetus magna consensione agnoscant .

Dolendum saltem est , in ipso opere plurimos adeo aberrare , ut verum scopum minime adsequantur ; quin imo preces suas , etiam ardentissimas sibi visas , incassum mittant . Si qværas , quid causæ subfit , sic reperies : precantur homines non illud , quod Deo placet , sed qvod affectuum suorum , quibus subinde abripiuntur , pruritus svadet ; ut non erraveris , si dixeris , pro infinita propensionum varietate , etiam preces hominum ad Deum missas variare .

Alia enim habet ambitiosius , alia voluptuosius , alia avarus , quæ Deum poscat ; perinde ac si Deus obligatus omnino esset , hujuscemodi precibus , quas cœco effundunt impetu , atqve eruſtant , confestim , & sine ulla mora , affurgere . Summa itaque Dei eluceſcit sapientia in hoc negotio , qui non statim dat , quæ homunciones iſti volunt , sed qvæ utilia ipsis , & veræ Ipsorum emendationi , qvam in omnibus suis œconomiis intendit , conducibilia judicat . O felices nos , si nostram voluntatem ad voluntatem summi Numinis ita componamus , ut preces , quas mittimus , eandem illam emendationem , ex viva fide emanantem , spirent , & ubique Deo eam commendent : sic enim cœterā omnia benignissimus pater , pro cuiusqve modulo , & captu , facile adjiciet Matth . VI . 33 .

Agite nunc , Optimi Cives , habemus , quod Deum in hoc sanctissimo Festo precemur , non gazas , non voluptatum delicias , non vanam gloriam , sed Spiritum Sanctum , copio .

copiosissimum omnium donorum spiritualium largitorem.

Neque vero timendum, preces nostras incassum casuras: quomodo enim hoc fieri posset? cum talia precari in animo sit, quæ Deus vult, & jubet non solum, sed promissionibus insuper sanctissimis communire haud deditnatus fuit. Audite servatorem nostrum dulcissimum Luc. XI. 13. Si vos, cum sitis mali, nos tis bona dona dare liberis vestris: quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum iis, qui illum petierint.

Savissimum Patris Nomen in his verbis ita sibi sumit benignissimum Numen, ut simul ostendat, infinitis parasangis, sicuti bonum antecellit malum, lux tenebras, ita amorem quoque DEI erga suas creaturas præcurrere amorem mortalium: QVANTO MAGIS, inquit, pater vester cœlestis dabit spiritum sanctum iis, qui illum petierint. Confidenter itaque petite, O Cives; habetis enim patrem promittentem, & plus quam patrem. Si quem enim vestrum, qui parens sit, filius suus panem poscat, an is filio lapidem dabit? aut si pisces, num pro pisce dabit ei serpente? aut si petierit ovum, num dabit ei scorpium? vers. 11. 12. Omnino, quæ perversitas est hominum, hi quidem dare possunt! Pater tamen cœlestis hoc perverso modo non est daturus (conf. Es. 49. 15.): en promissa ejus sanctissima v. 9. & 10. citati capit is, ubi vobis dicit: petite, & dabitur vobis; quisquis enim petit, accipit; & qui querit, invenit; & pulsanti aperietur. Sane hæc verba non serpentes, non lapides, non scorpions, sonant; tenerimum potius amorem omnes literæ spirant,

Est autem, O. C., donum prorsus divinum, quo DEus vos decorare gestit, & omnibus viribus humanis majus; non comparandum sane cum donis munificentissimis Regum Principumque hujus mundi. Hi enim beneficentiam suam ostensuri, mundana quædam, mox peritura, donant. Pa' autem cœlestis donum cœlestie, Spiritum

sc. sanctum ; qui ejusdem est cum illo essentiae , gratiosissi-
m e muneratur , & ultro etiam offert ; qvod non immer-
to mirari in mentem venit Mosi , exclamanti : certe Philano-
. s. h. opus DEus est !

Dices forte cum Maria : qvomodo istud erit & qvandoqvi-
dem finitum non est capax infiniti . Sed facilis est , præ-
via Sacra Scriptura , responsio : nimirum Spiritus Sanctus
inhabitando superveniet vos , & corda vestra , in suum sibi
domicilium , donis largissimis instruet . Cum itaque fi-
nitum hic nihil habeat , qvod agat , sed tantum patiatur :
restat , ut capacitatem , saltē hyperphysicam , cordibus
nostris non denegemus . Ulterius inquirere in tantam
mysterium non licet , & frustra sunt , magnaqve temeritate
utuntur , qui , qvamvis nullum sensum (αἰσθητόν) in divinis
habeant ; objecti tamen evidētiam hic poscunt & crepant
cum evidētia testimoniī sit summa ; qvod ex innumeris
Sacræ Scripturæ dictis facile liquet .

Sunt autem dona illa , qvibus Spiritus Sanctus in suo-
rum animos tanquam influit , tam multiplicia , & tam ma-
gnifica , ut illa sine justa animi veneratione cogitare nefas-
sit . Integrum illorum catalogum contexit Apostolus
Paulus I Cor. XII. 8. &c. : qvæ omnia tamen sigillatim
evolvere , atqve enucleare , nostri non est instituti : pauca
saltem infra delibabimus . Cum vero distingvere soleant
inter dona , omnibus Christianis communia , s. sanctifi-
cantia , & qvibusdam saltem Ecclesiæ membris peculiaria ,
sive ministrantia : observandum est , citato loco Aposto-
lum ministrantia in primis dona , non tamen prorsus ex-
clusis reliqvis , percensere . Graviter quoqve idem Apo-
stolus monet vers. 31. citati capit is , ut studiose sectemur
dona potiora . Hinc qvæstio oritur : An non liceat dona
ministrantia à DEO absolute , & sine adjecta conditione ,
s. sub spe certissimæ exauditionis , petere ? De donis sancti-
ficantibus affirmare Qvæstionem nullibi dubitamus ; qvam-
vis

vis majorem, vel minorem, illorum mensuram divinae
bonitati unice permittendam censeamus. Sed cum hoc
loco sermo sit de ministrantibus donis, & quibusdam sal-
tem Ecclesiae membris peculiaribus; nec vero uni det cun-
cta Deus, sed sua cuique pro libero arbitrio, quo omnia
reguntur, distribuat: manifestum est, quæstionem propo-
sitam esse negandam. Hinc preces nostras ita institua-
mus, ut profiteamur, nos potius in potestate DEI fore, &
ad ejus conditiones, ac voluntatem, libertissime descen-
furos. Si ergo velit, (sisto hic pariter orantes Christianos
in plantanda N. T. Ecclesia) ut homines alios doceamus,
& de præcipuis partibus Christianæ religionis, singulisque
DEI Economiis, perspicue in Ecclesia commentemur:
det nobis donum sapientia. Si velit, ut Ecclesiam regamus,
& in rebus perplexis, ac arduis, salutare, ac pium, consil-
lium suppeditemus: det nobis donum scientia ac prudentia.
Si velit, ut talia agere non dubitemus, quæ aliis quispam
Christianus vix cogitare audeat: det nobis donum fidei he-
roica. Si velit, ut morbis infectos, a morbis, ac corpo-
raliter, & spiritualiter obsecros a potestate Satanæ libere-
mus: det nobis donum sanationum. Si velit, ut res mira-
biles, & stupendas efficiamus: det nobis operationem varia-
rum virtutum. Si velit, ut scripturas propheticas, & ob-
seuras, enodemus, & interpretemur: det nobis donum pro-
phetia. Si velit, ut machinationes falsorum Doctorum, il-
lorum præsertim, qui sub ovium vestitu fese callide insi-
nuare norunt, mox agnoscamus & detegamus: det nobis
discretionem spirituum. Si velit, ut in exteris, & longe re-
motissimas, gentes Evangelii gazas perferamus: det nobis
donum variarum lingvarum. Idem habeto de reliquis donis
ab Apostolo Paulo loco antea citato, enumeratis.

Verum enim vero cum inter dona illa, jam jam recen-
sita, quædam compareant, quæ post confirmatam Evan-
gelii veritatem in Ecclesia plane cessarunt; ut adeo dona

ministrantia subdividenda sint in temporaria , & perpetua:
nova se ingerit Qvæstio : utrum placere DEO possit oratio,
qvæ optat dona , qvorum memoria , cessante nimirum
fine , in Ecclesia jam exolevit; e. g. num virtutem patran-
di miracula ; num immediatas revelationes , post ardentissimas
ad DEum preces , exspectare liceat. Sunt , qvi hu-
juscemodi preces ita detestantur , ut contrarium potius
petendum censeant , ac tum demum recte precari sibi vi-
deantur , si , qvanta animi submissione possint , commemo-
rationem suæ imbecillitatis præferentes , hujuscemodi
dona prorsus deprecentur. Sed tali non opus est animi
æstu , cum sufficiat , de iis exorandis non cogitare , qvæ in
Ecclesia per DEI gratiam jam plantata deliisse novimus.
Eo itaque omnes animi nervos , in vera fide , intendat
Christianus orans , ut dona inprimis obtineat à DEO san-
ctificantia ; ut in via pœnitentia , & per sanctificationis
gradus , ita feliciter proficiat , & eo usqve ascendat , ut
DEO , & servatori suo sanctissimo , magis magisqve affi-
miletur. Reliqua divina voluntati unice committat , &
susprium ex oratione Servatoris nostri omnium perfectissima
sibi sumat , supplicique voce subinde ingemiscat ; Fiat
voluntas tua.

Qvæ formula sicuti fiduciam involvit erga Patrem co-
lestem longe firmissimam , ita non sine insigni temeritate
in precationibus omitti potest. Non eqvidem me fugit ,
qvanta sit hominis , sibi relieti , socordia , & qvantus ani-
mi torpor , cum inter precandum meminisse debet , non
suam , sed DEI voluntatem , esse suspiciendam ; inprimis si
cum flebili qvadam calamitatum , qvibus urgemur , com-
memoratione nobis sit supplicandum. Recordor hic ar-
gutum simile viri cuiusdam pientissimi , qvi nostram , &
DEI voluntatem , in bilancem scitissime conferens , gravi-
ter oculorum nostrorum accusabat libidinem , qua subinde
ad alteram lancem , nostris desideriis onustam , reflectunt,

avide

avide exspectantes , num in istam forte partem ; providentia divina sic moderante , superpondium conspiciatur . At qvis non videt , has esse funestas illas corruptæ naturæ reliquias ? cum qvibus qvotidie ita est depugnandum , ut , mussitante licet carne nostra , in spiritu tamen , atqve veritate , nihilominus precemur : *Fiat voluntas tua.*

Sed non solum cum plena animi submissione , verum etiam assiduitate qvotidiana , & qvadam consuetudine , qvod Paulus Apostolus monet , est orandum . Igitur Christianus in omnibus aliis cultus divini partibus , non tamen neglectis ordinariæ stationis laboribus , in preces , & inspiria versus , in templo , domi , & rure , & ubicunqve verletur , manus supplices ad DEum tendat , nec unquam in precando segnescat . Qvin imo sicuti vidua illa Luc . XVIII , Judicem injustissimum ; ita nos , O . C . Judicem justissimum , vel potius patrem benignissimum , continuis precibus fatigemus , atqve obtundamus , donec voti compotes , Spiritum DEI sanctum , cum suis , qvæ effundere largissime cupit , donis , ita possideamus , ut novis subinde accessiōnibus locupletemur . *Qvod si enim iudex ille , quererat pessimus , noverat bonum donum dare vidua : quanto magis Pater cœlestis dabit Spiritum Sanctum nobis perseveranti studio ipsum perentibus.*

Sed unicum adhuc , O . C . , motiendum , & , pro munēris mihi demandati ratione , vobis exsertis verbis præcipiendum restat . Qvid enim existimatis ? qvomodo illi , qvi Spiritum S . sibi exorare cupiunt , se gerere , & qvomodo rerum suarum rationes inire debeant . Qværere ulterius ferme pudet : sed scire tamen expeto ! Num forte opinamini , hujuscemodi preces recte institui ab illis , qvi manifestis delictis obstricti , & ultimam pestem Almæ nostræ molientes , ad verius Magistratum , & bonas leges , in factio-nes scinduntur ? qvi injurias , sibi forte illatas , seditiosis vocibus & schedulis , proprio instinctu vindicare , & stu-

.M.DCC.XX. b. dioso.

diisorum cœtu concitato , rem ad manus statim revocare
audent ? Vos Studiosos appello ! Facta sunt nuper italia
Admissa in hac Academia nostra ; qvæ recenti memoria
omnes tenemus. Fuerunt , qvi nocturnis , & clandestinis
consiliis , per funestas qvasdam , in publica tabula , affixas
schedulas , motus , & tumultus concire , speciemqve rebel-
lionis præbere , non erubuerunt. Doleo , qvando recor-
dor ! Summa enim illa , qvæ appetet , temeritas delictum
magis adgravat ; dum sub oculis , & in Conspectu Recto-
ris , qvin imo post factam inhibitionem , pieraqve hæc ge-
sta , & contra jus , fasqve , sunt commissa. Siccine /an-
etas qvas sacra Scriptura poscit , manus ad DEum tenditis ?
Scitote , sanctissimum DEI verbum hisce refractariis pre-
ces , & orationem ad DEum , prorsus interdicere. Deus
enim non audie tales peccatores , & tenebriones ; qvemad-
modum præterita die Dominica gravissimis verbis , pro
suggestu , in templo Jacobæo monitum est.

Nolumus itaqve committere , ut ex nostra indulgentia ,
qvam alias , pro sincero in Vos amore , publice , privatim
qve testatam cupimus , tanta criminis alantur , atqve fove-
antur : qvin imo omnibus , & singulis , gravissimum Se-
natus Academicus decretum , qvod sequentis est tenoris ,
publice denunciamus :

*Qui schedulas in posterum , tumultus excitandi causa , pu-
blice affigunt ; similiter , qvi ad seditiones ejusmodi formulas compa-
rent conspirationesq ; faciunt , publica , & cum infamia conjuncta
relegatione puniuntur ! Hoc vestra non ignorare intererat .*
Qyod superest ;

Genitori Genitoqve

Laus & jubilatio.


Salus honor virtus qvoqve

Sit & benedictio.

Procedenti ab utroqve

Compar sit laudatio.

P. P. Sub Sigillo Rectorali , Fer. I. Pentecostes ;
d. XXVIII. Maji , Anno MDCCXIX.



avide exspectantes , num in istam forte part
denta divina sic moderante , superpondium c
At qvis non videt , has esse funestas illas corr
reliqviās ? cum qvibus qvotidie ita est depugn
mussitante licet carne nostra , in spiritu tamer
ritate , nihilominus precemur : *Fiat voluntas tu*

Sed non solum cum plena animi submissio
etiam assiduitate qvotidiana , & qvadam co
qvod Paulus Apostolus monet , est orandum .
stianus in omnibus aliis cultus divini partibus
neglectis ordinariæ stationis laboribus , in prece
versus , in templo , domi , & rure , & ubicunq;
manus supplices ad DEum tendat , nec unquam
do segnescat . Qvin imo sicuti vidua illa Luc
dicem injustissimum ; ita nos , O. C. Judicem
vel potius patrem benignissimum , continuis
tigemus , atq;e obtundamus , donec voti com
tum DEI sanctum , cum suis , qvæ effunder
cupit , donis , ita possideamus , ut novis subin
nibus locupletemur . *Qvod si enim iudex ille ,*
simus , neverat bonum donum dare vidua : quanto
cælestis dabit Spiritum Sanctum nobis perseveranti
perentibus .

Sed unicum adhuc , O. C. , monendum , & ,
ris mihi demandati ratione , vobis exsertis verb
endum restat . Qvid enim existimatis ? qvom
Spiritum S. sibi exorare cupiunt , se gerere , &
rerum suarum rationes inire debeant . Qvære
ferme pudet ; sed scire tamen expeto ! Num fo
mini , hujuscemodi preces recte institui ab illis ,
festis delictis obstricti , & ultimam pestem Al
molientes , ad verius Magistratum , & bonas lege
nes scinduntur ? qvi injurias , sibi forte illatas
vocibus & schedulis , proprio instinctu vindic



Image Engineering Scan Reference Chart TE265 Serial No. 0211